

Jarmann

De 1775











Q. D. B. V. 3706  
POSITIONES PHILOLOGICAE  
DE  
ALCORANO,

QUAS  
Rectore Academiae Vitembergensis  
Magnificentissimo,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN. FRIDERICO AUGUSTO,  
Electoatus Saxonici Herede, &c. &c.

PRAESIDE  
JO. CHRISTOPHORO VVICH-  
MANNSHAUSEN,

Linguarum Orientalium Prof. Publ.  
Fac. Phil. h. t. DECANO,

DEFENDET  
M. ISRAEL TRAU GOTT  
GARMANN,  
Chemnicensis.

IN AUDITORIO MAIORI.  
IX. KAL. APRIL. A. R. S. *cl* bCCVIII.

---

VITEMBERGAE,  
PRELO CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYP.





## I.



Omen القرآن *Alcoranus*, vel potius *Coranus*, (¶ enim articulus est, Italorum *il*, Graecorum *ὁ, ἡ, τὸ*, & Ebraeorum *ה*, quod הריעה vocant, referens) cujus radix est قرأ *legit, praelegit*, proprie *Lecturam*, sive quod aliis placet, τὸ ἀνάγνωμα, *Legendum* denotat. Potiora istius Synonyma sunt الفرقان, *Phorcanus*, quo nomine sigillatim *Sura XXV* inscribitur, & الكتاب; ex quibus illud vel a فرق *distinguere*, vel a פרק aut פרקה *Sectio legenda*, quod *Golio* in *Addit. ad Grammat. Arab. Erpenii* p. 175. placet; hoc vero a كتب *scripsit, exaravit*, derivatur: prorsus ut nominibus istis, Graecorum more, quibus τὰ βιβλία sacra volumina sunt, nihil aliud quam *Liber* significetur.

## II.

Muhammedem (*Mubammed*, quando dama Arabicum modo *O* obscurum, modo *U*, vel etiam diphthongum & refert, a Graecis indifferenter per μαχαμὲθ, vel μωαμὲδ, aut μναμὲδ exprimitur, &, vi etymi sui, nihil aliud, quam Ἐξάσμιον, sive אִישׁ הַמְדוּר *virum valde desideratum*, אבשלום s. *Absalomi* instar, qui eodem respectu

A 2

Pater

*Pater Pacis* dici poterat, denotat) in Alcorano con-  
 scribendo a Christianis & Judaeis adjutum fuis-  
 se, communis Meccanorum, Impostore adhuc  
 vivente, fuit opinio. Hos Christiani ad unum  
 fere omnes secuti sunt, quippe qui moliendis rebus  
 novis socios a Muhammede potissimum adhibitos  
 fuisse credunt *Sergium*, Monachum Nestoria-  
 num, & *Babiram*, sive *Bobiram*, Jacobitam. Nec  
 abludit ab his ipse *Marraccius*, nisi quod sub fi-  
 nem Cap. IV. de *Alcorano* solos fere Judaeos, po-  
 tissimum vero *Abdallab Ebno-Salam*, illorum pri-  
 mo antesignanum, mox Muhammedis affeclam  
 & discipulum, seu potius Magistrum, vel ideo  
 cum Muhammede architectum Alcorani constituit,  
 quod maxima ejus pars fabulas Talmudicas, &  
 Rabbitorum deliria complectatur. *Moslemi* ve-  
 ro ipsi (ab Arabibus enim & in Alcorano Muham-  
 medani *مسلمون Moslemin* a radice *سلم* cujus Cong.  
 IV. *اسلم* est, *credidit*, communiter & usitatissime  
 nuncupantur) Muhammedem pro *النبي الامي* h. e.  
*Propheta idiotia*, legendi scribendique prorsus igna-  
 ro, reputantes, Alcoranum Muhammedi per An-  
 gelum *Gabrielem* a Deo, diversis licet temporibus,  
 ita traditum fuisse adstruunt, ut post mor-  
 tem istius *Abu-Beker*, vel *Abu-Bacer*, cui *Oth-*  
*mannum*, seu *Osmannum*, quidam jungunt, Suras  
 & periodos in certum ordinem redegerit, inque ordi-



ordinem ita redactas evulgaverit. Consuli hoc super negotio inprimis merebitur *Richardus*, sive *Ricoldus*, Arabs Christianus, qui in Oriente vixit, in scriptis suis contra sectam Muhammedicam e Graeco versis, & *Parisiis* A. MDXI. postmodum vero *Venetis* cum Republica literaria communicatis.

### III.

Est vero *Alcoranus*, ut bene monet *Pfeifferus* Crit. S. C. XVI. §. 2. Sect. 1. non nisi *Cento e partibus Judaicis, Christianis & Ethnicis consutus*. Praeter innumerabilia enim ista, quae ex scriptis Moisaicis & Propheticis, Judaeorumque traditionibus depromta, & misere interpolata sunt, ex Libris Novi quoque Foederis, & Haereticorum, *Gnosticorum* videlicet, aliorumque in Oriente degentium, inter quos *Mubammed* diu vixerat, dogmatis, nec non Saracenorum, maxime *Koreisabitaram*, ex quibus suam ille duxerat originem, moribus ritibusque compilata, in omni fere pagina, imo singulis suis signis, h. e. versiculis, inculcat.

### IV.

Porro quum *Alcoranus* in Capita & versus sponte sua abeat, Caput quodque per *Suram* sive *Suratam*; versus autem per *Iton* vulgo exprimitur. Prior vox *structuram*, sive *seriem aedificii*

A 3

dificii



*difficili*; posterior *signum*, eo, quod secundum Moslemos quilibet Alcorani versiculus signum vel miraculum est, proprie designat. Notandum vero hic est, quod neque Surae, neque versiculi, isto, quo Muhammedi traditi esse finguntur, sed praepostero plane ac perturbato ordine ab *Abu-Bekero* sint dispositi; id quod & imprimis Alcorani intelligentiam omni tempore Interpretibus reddidit difficillimam.

V.

Suratarum ordinem & numerum post Polyglotton *Postellum*, (cujus de Concordia Orbis L. II. p. 125. hic conferri potest) *Hottingerus* in *Smezmate Orientali* L. III. Part. II. c. 2. a pag. 107. ad p. 150. ita exhibet, ut primaria cujuslibet Suratae argumenta, titulos, Lectorumque praemia insimul proponat. Interim versiculorum aequae, ac Suratarum, in quibus enumerandis nonnulli, pauciores vel plures recensendo, errant, numerus accurate iniri non potest, siquidem pro varietate Codicum multum & isti variant; id quod laudatus *Hottingerus* in *Thesauro Philologico* L. I. c. 3. p. 411. ubi ad *Meccense*, *Cufense*, *Bazorense*, *Schamense*, vel *Syriacum* exemplum, indicem digitorum intendit, demonstrat. Accedit, quod in una eademque Surata commatum ac versiculorum numerus semper & ubivis sibi non constat.

stat. Sic, ipso *Marraccio* teste, in *Notis ad Suram* XXIII., quae *اطور واور* *Fideles* seu *Credentes* inscribitur, communiter centum & duodeviginti versus, ex quorundam tamen, qui unum superaddunt, sententia, undeviginti reperiuntur. Ceterum quantum ad *Corani* literas & dictiones atinet, majori calculum istarum certitudine *Recensitores Arabes*, *Judaeorum* exemplo ad hoc quoque excitati, subducunt, quando omnium vocum familiam ad 77639. literarum vero ad 323015, consensu, ut putamus, unanimi reducunt.

## VI.

*Surae*, sive *Capita*, alia sunt *Meccensia*, alia *Medinensia*. Utraque ab urbibus Arabiae clarissimis & amplissimis *مكة* *Mecca*, atque *مدينة* *Medina*, (quarum haec palmis olim confita, ab illa X. stationibus seu IV. dierum itinere, ex *Nubiensis Geographi* sententia, distabat) eam ob causam nomen indepta sunt, quod magna *Corani* pars, post fugam *Impostoris*, *Medinae*, pars tamen etiam *Meccae* confecta fuit. *Marraccius* C. II. de *Alcor.* p. 34. ulterius progressus, quasdam *Suratas* ex parte *Meccanas*, ex parte *Medinenses* esse existimat. Quin imo nonnullas, eas scilicet, quas *Interpretes* his verbis notant: *مختلفة فيها* *Variatio est in illa*: quoniam nondum satis constat, u-

trum

Bibliothek der  
Deutschen  
Morgenländischen  
Gesellschaft

trum *Meccae*, an *Medinae*, compositae sint, pro  
*Dubis* habet.

### VII.

*Idioma* Alcorani *Arabicum* est, cujus charac-  
ter antiquus ab *Inaki Cufa*, urbe in frontispicio  
*Arabiae Desertae* ad Euphratem posita, & ob A-  
cademiam quondam incluta, quippe cui, prout  
in MSS. antiquis hodie quoque visitur, suam de-  
bet originem, *Cuficus* appellatur. Novus ab *Ibn Mo-  
kli*, famosissimo scriba A. C. DCCCCXXXVII. inventus est,  
& nostro adhuc aevo apud omnes, *Africanos* pa-  
riter, & *Afsaticos, Arabes*, qui non alio, quam hoc  
charactere, sacras suas pandectas instruunt, ae-  
qualiter obtinet. De punctis tam vocalibus, quam  
distinctivis, strictim insuper monemus, illa qui-  
dem, observatis tantum diversis, pro diversa *Cu-  
ficorum* & *Ibn Mokla* institutione, figuris, in omni-  
bus fere Codicibus existere ubivis eadem; haec,  
distinctiva nempe, certis notis atque punctis, ab  
*Erpenio* L. I. Gramm. Arab. p. II. enodatis, indi-  
cari.

### VIII.

De stylo Legis *Ismaeliticae* I. c. ita differit  
*Marraccius*, ut, licet fluxum quendam verborum  
ad aurium pruriturum & lenocinium accommoda-  
tum isti non deneget; aperte tamen fateatur,  
quod de proprio loquens, nil nisi quisquilias &  
meras

meras ineptias, plenis quasi buccis protrudat, di-  
 ctionemque ubivis fere, tam in verbis, quam in  
 sententiis, affectet propheticam, ita quidem, ut  
 tempora & personas turpiter, & saepissime, per-  
 muret. In multis locis, quod *Golius* l.c. adno-  
 rat, illud potius quaesitum esse videtur, ut con-  
 sonis extremis syllabis periodi congruant, quam  
 ut rerum nexu & sequela cohaereant. Sine ulla  
 enim syllabarum regula vel numero signa, sive  
 versiculi, saepe brevius, saepe longius, prosaice de-  
 currunt, donec in rythmum, qui ut plurimum  
 consonans est vocali affecta, quam una ex tribus  
 quiescentibus praecedit, (quale quid in <sup>و</sup> *Una*  
<sup>و</sup> *Ina* & <sup>و</sup> *Ano*, videre est) designant. *Poesis*  
 itaque *Alcoranica*, ut bene judicat *Marraccius*,  
 non dissimilis est illi, qua coeci vel erronei in tri-  
 viis & plateis utuntur, imo longe minus lepida,  
 atque concinna. Patrocinator vero eidem in pri-  
 mis *Philippus Quadagnoli* in *Institutionibus Lin-  
 guae Arabicae*, Romae in fol. a. 1642. impressis p.  
 292. seqq. ubi *Circulum* sive *Genus* **CARMINIS**  
**CHAZREGIACI** *quartum*, & quidem tertiam  
 istius speciem, quam <sup>السيفير</sup> h.e. *Levem* vocat,  
 variis in medium propositis exemplis, *Poesin* *Al-  
 coranicam* reducit.

IX.

Objectum Alcorani fere sacrum est, ita ta-  
 B men,



men, ut impiae, quam sinu fovet, doctrinae Ca-  
pita, eaque vel fundamentum religionis verae de-  
struentia, vel in problematicis tantum habenda,  
dogmatica item vel ritualia atque ad disciplinam  
spectantia, cumulatus Lectori exponantur. Nu-  
gis sane, deliramentis, absurdis, foeditatibus libi-  
dinosis, mendaciis, commentis putidis, contra-  
dictionibus, turpissimis plagiiis & additamentis ad  
historias biblicas, Orci haec, progenies undequa-  
que referta est, id quod praeter *Centuriatores  
Magdeburgenses* Cent. VII. C. XV. aliosque seculi  
nostri Philologos ac Theologos, inprimis *Henri-  
cus Leuchterus* in Alcorano Mahometico, lucu-  
lenter ac copiose demonstravit. Enimvero a  
Muhamede pessimis (ut praeter *Abulfarajum*,  
cujus Specimen Historiae Arabum *Pocockius* Oxo-  
nii in 4to a. 1680. edidit, *Paulus Diaconus*, *Zono-  
ras* & alii optimae fidei Historici testantur) ma-  
gistris uso, sanius quicquam sperari haud potue-  
rat.

X.

Tantam interea Alcorano, in quo tamen, ut  
jam monuimus, ἐντρούματα & pudenda mon-  
stra innumera delitescunt, *Assentatores* tribuunt  
reverentiam, ut ad juramenta sua istum adhibe-  
ant, in bella secum ducant, in vexillis militaribus  
sententias ex illo depromptas depingant, auro &  
pre-



pretiosis lapidibus eum exornent; imo ab aliis,  
quam suis, eo, quod secundum *Algazel* in Profess.  
Fidei Muham. عمر مخلوق *aeternus* ac *increa-*  
*tus* sit, legi, haberi aut tangi istum plane non per-  
mittunt. Concepta enim, quae hunc in finem,  
Codicum involucris exterius inscripta sunt, verba  
ita habent: لا يمسوا الا المطهرون *Ne attingant eum,*  
*nisi purificati.* At enim vero bene habet, quod  
summa libri perversitas ab aliis merito detecta du-  
dum & manifestata est, ipseque *Calipha*, seu *sum-*  
*mus Imperator*, publico edicto de Fide, quod cre-  
atus sit, credendum esse, imperavit.

XI.

Quanquam Arabico idiomate primo scriptus  
& vulgatus est Alcoranus, in *Persicam* tamen *Lin-*  
*guam*, multa licet cum variatione, tandem etiam  
translatus est. Primus omnium Arabicum tex-  
tum nudum & versione destitutum diligenti cu-  
ra atque studio Hamburgi A. MDCXCIV. in 4to prelo  
subjici curavit *Abrahamus Hinckelmannus*: cujus  
tamen operam *Ludovicus Marraccius* e *Congrega-*  
*tione Clericorum Regularium Matris Dei, & In-*  
*nocentio XI. quondam a sacris Confessionibus*, no-  
vissima Alcorani editione, omnium iudicio, quam  
longissime superavit. Hic enim, quod tentare  
pauci, perficere vero hactenus nemo prorsus po-  
tuit, Alcorani textum universum ex correctiori-  
bus

De  
1775  
bus Arabum MSSis, caractere quidem pulcher-  
rimo descripsit, atque in sermonem latinum  
transtulit. Singulis praeterea Capitibus notas, i-  
psamque refutationem subjunxit, iisque omnibus  
*Prodromum ad Alcorani refutationem*, qui totum  
priorem tomum implet, praemisit. De versione  
autem ejus latina idem nos ferendum putamus  
judicium, quod ipse *Marraccius* in Praefatione  
Operis, A. MDCXCVIII. *Patavii* editi, tulit, ubi fatetur  
ingenue, se ex rigidae translationis taedio satis ha-  
buisse, si sententiam mentemque *Autoris* expri-  
meret: quam & *Arabum interpretum* ope, si non  
ubivis, plurimis certe in locis, assecutum se esse  
existimat.

## XII.

De Versionibus reliquis, *Latina* duplici, Anti-  
qua & Recentiori, *Gallica*, *Anglica*, *Belgica*, *Ger-  
manica*, ceteris tam Occidentalibus, quam Orien-  
talibus *Joh. Michael Langius* in peculiari de istis  
conscripta Diatriba; de quibusdam vero Alcora-  
ni particulis, ab *Erpenio*, *Golio*, *Nisselio*, *Kirstenio*,  
*Zebendorffio*, *Acolutbo*, *Beckio*, & ita porro, evul-  
gatis, *Pfeifferus*, l. c. §. 12. ipseque *Aco-  
lutbus*, consuli merentur.









D. Le 1775

ULB Halle

3/1

000 876 216





